



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

Vtrum solus Deus bonus sit per essentiam. disp. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

videndi, visibilitas verò est ratio sub qua terminat, & penes quam attenditur vnitatis specifica talis potentia, vt q. 1. explanatum est. Quando ergo Diius Thomas art. 1. huius quaestionis, ac alibi affirmat, rationem boni in eo positam esse, quòd sit appetibile, intelligendus est de appetibili, non quoad significatum formale, sed quoad fundamentum proximum appetibilitatis, vt Caietanus & Ferrariensis exponunt: vel (vt iidem etiam interpretantur) loquitur de ratione boni extrinseca, & quæ se habet ad bonum vt passio ad suum subiectum, quòd etiam aperte innuit idem D. Thomas ad initium primi Ethicorum.

Quòd attinet ad rationem finis, eadem 1. 2. loco citato ostendimus, non esse de essentia boni, sed esse rationem quamdam illi superuenientem, ab eo formaliter distinctam. Bonum namque dicit rationem conuenientis: finis verò dicit habitudinem ad medium, quod in finem ipsum ordinatur: imò verò necessarium non est, vt semper ratio boni adiunctam habeat rationem finis, nisi fortè sermo sit de fine, vt comprehendit tam finem actu, quam finem potentia. Si namque Deus statuisset nihil omnino creare, sua essentia rationem haberet boni & conuenientis, in qua sibi placeret, & quam diligeret, & tamen non haberet rationem finis actu, eò quòd nihil esset, comparatione cuius haberet rationem finis. Neque enim sicut actus voluntatis creatæ semper ordinatur tamquam in finem in rem, quam vult, vt 1. 2. loco citato latè ostendimus, ita ordinatur actus voluntatis diuinæ, qui nullius rei comparatione habere potest rationem effectus, etiam in genere causæ finalis. Quando ergo D. Thomas sapè innuit, finem & bonum esse idem formaliter, id non est accipiendum de fine formaliter, sed de fundamento illius, pro eo quod exercet rationem finis comparatione actus voluntatis, aut mediorem, quæ per actum voluntatis in finem ipsum ordinatur: hoc enim est ipsum bonum, vt 1. 2. loco citato exposuimus cum Caietano ibidem, & cum Ferrariensi 3. contra gentes c. 17.

Voluntatis creatæ actus semper ordinatur in rem, quam vult, tanquam in finem, sicut de actu voluntatis diuinæ.

A sit quantitas molis, consequens est, vt sermo sit de quantitate perfectionis, quam Regius vates eo loco asserit esse infinitam, ac proinde summam.

B Obicit aliquis: Deus & mundus hic, quem cerimus, simul coniuncti sunt quid melius ac proinde maius quoddam bonum, quam sit solus Deus: ergo Deus non est summum bonum. Consequentia perspicua est: antecedens verò probatur, quoniam complexum hoc, Deus & orbis, includit Deum, & addit orbem, qui habet bonitatem formaliter & realiter distinctam à bonitate diuina: ergo efficiet quid melius, bonumque quoddam maius ex vtrouque coniunctum.

Obiectio.

Durandus in 1. dist. 44. q. 3. concedit, Deum & orbem esse quid melius: & ob id maius quoddam bonum extensiuè, quam sit solus Deus. Hic tamen modus loquendi nullatenus est admittendus, licet admitti posset esse plura bona secundum numerum. Ratio est, tum quia finitum additum infinito non efficit maius, vt ostendimus 3. lib. Physicorum, dum de infinito erat sermo: quod maxime verum est de infinito simpliciter, omnique ex parte illimitato, vt est Deus. Tum etiam quia illud idem, quod orbis addit, est eminenter in ipso Deo: ea namque ratione Deus solus sine creaturis Exod. 33. dicitur omne bonum, quòd earum bonitatem in se ipso posse habeat. Præterea, iuxta modum loquendi Durandi admittendum esset, Christum Deum & hominem, esse quid melius & perfectius Patre, & Spiritu sancto, quod (ne dicam impium) temerarium & periculosum esset asserere.

Durandus sententia reijcitur. Deus & orbis simul, sunt plura bona secundum numerum, non tamè maius bonum quàm Deus solus.

C Accedit ad hanc sententiam Diius Thomas 1. 2. quaest. 33. articulo 3. ad secundum, quo loco docet, optimum simpliciter per cuius participationem omnia sunt bona, vt est Deus, nullius boni additione fieri melius: in aliis verò bonis generaliter verum esse, quodlibet eorum additione alterius boni fieri melius. & tertio Sententiarum dist. 6. quaest. 2. articulo tertio ad primum, vbi docet, licet in Christo bonum increatum natura diuinæ, & bonum creatum natura humane sint plura bona, quæ sola natura diuina, coniunctum tamen ex vtraque natura, non esse maius bonum neque melius solam natura diuinam. Cuius rei duplicem rationem reddit. Prima est, quia bonum creatum habet se ad increatum tanquam punctus ad lineam, quatenus neutrum proportionem habet ad alterum: quare, inquit, sicut punctum additum lineæ non efficit maius, ita neque natura humana addita diuinæ efficit maius aut melius. Atque hæc est prima ratio, quam nos reddidimus, nempe quòd finitum additum infinito non facit maius.

D Secunda ratio est, quia bonum natura humane vt & ceterarum rerum creaturarum, est in Deo eminenter, qua de causa Exodi 33. appellatur omne bonum, & ob id fieri illi nequit additio boni, quod in se ipso non præhabeat. Atque hæc est secunda ratio quam nos reddidimus. Consonat etiam cum hac sententia Augustinus lib. 6. de Trinitate capite 8. dum ait: Cum creatura adherescit creatori, illa fit maior, quam erat, non ille.

E F DISPVTATIO II. Virum solus Deus bonus sit per essentiam. Pro explanatione huius rei sciendum est, nos posse loqui, aut de bonitate integra & perfecta rei, quo pacto includit existentiam, & omnia alia attributa, non solum essentialia, sed etiam accidentalialia debita tali rei, vel de bonitate, vt perfectam &

QVÆSTIO VI.

De bonitate Dei.

DISPVTATIO I.

Virum Deus ita sit summum bonum, vt creatura simul cum eo sumpta non efficiant maius bonum.

Deum est summum bonum.

DE VABVS disputationibus comprehendemus, quæ maioris videbuntur momenti tota hac quaestione 6. Atque in primis Deum non solum bonum, sed etiam summum esse bonum, aperte colligitur ex iis quæ diximus duabus quaestionibus precedentibus. Cum enim vnumquodque tantum habeat bonitatis, quantum habet entitatis & perfectionis, vt quaestione precedente explicatum est: atque quaestione quarta ostensum sit, Deum nõ solum esse perfectissimum omnium entium, sed etiam eminenter continere perfectiones omnium aliarum rerum, manifestum est, Deum non solum esse bonum, sed etiam summum esse bonum. Idem constat ex Scripturis sanctis: Psalmo namque 117. dicitur, Confitemini Domino, quoniam bonus, & Psalmo 144. Magnitudinis eius non est finis: cum autem in Deo non

DISPVTATIO II.

Virum solus Deus bonus sit per essentiam.

Pro explanatione huius rei sciendum est, nos posse loqui, aut de bonitate integra & perfecta rei, quo pacto includit existentiam, & omnia alia attributa, non solum essentialia, sed etiam accidentalialia debita tali rei, vel de bonitate, vt perfectam &

*Deus solus
est bonus per
essentiam.*

imperfectam complectitur. Si loquamur de bonitate perfecta, tunc clarum est, solum Deum esse bonum per essentiam: quoniam in eo solo existit, atque alia attributa realia ipsi debita, sunt formaliter sua essentia, in creaturis vero existit & alia attributa distinguuntur formaliter ab essentia, quo fit, ut nulla res creata sit integrè & perfectè bona per solam suam essentiam. Si vero loquamur de bonitate, ut perfectam & imperfectam comprehendit, est maior difficultas: quoniam cum essentia rei create præcisè considerata ab existentia & à cæteris attributis accidentalibus ipsius sit ens quoddam: bonum vero sit passio entis, fit, ut res creata bona sit per essentiam suam, saltem bonitate imperfecta, & subinde ut non sit proprium Dei esse bonum per essentiam.

Ad euidenciam huius difficultatis sciendum est, hic esse sermonem de bonitate actu, quæ solum conueniunt rebus, dum actu habent esse in rerum natura. Suprà autem quaest. 3. artic. 4. disputatione 2. ostendimus, omne productum recipere à sua causa producente non solum existentiam, sed etiam essentiam in actu entitatio sub existentia. Itaque ante productionem, neque essentia erat in rerum natura, neque existentia, sed utrumque accipit esse à causa efficiente, essentia quidem tanquam terminus primarius per se productus, existentia vero tanquam terminus secundarius comproductus ad productionem, in essentia: quare ante productionem neutrum est in actu entitatio, licet essentia verè prædicata essentialia & necessaria tribuamus, quia propositio, qua tribuuntur, solum de notat subiectum suapte natura vñdicare sibi prædicatum, siue extrema acceperint iam à suis causis essentias, quarum vnam alteri tribuimus, siue non, & siue essentia illa existant, siue non existant.

*Redditur
causa.*

Hoc præhabito, idcirco solus Deus dicitur bonus per essentiam, etiam secundo modo ex duobus paulò ante explicatis: quoniam cum existat per suam essentiam formaliter, utique ut ex sua essentia independentè à quocumque alio habet esse in actu entitatio, ita ex sua essentia independentè à quocumque alio habet, quod sit bonus: res vero creata, quoniam essentiam in actu entitatio sub existentia habent dependentè, tum à causa efficiente, à qua talem essentiam accipiunt, tum etiam ab existentia sub qua illam ita accipiunt, non dicuntur bonæ per essentiam suam, sed per participationem à causa efficiente, à qua accipiunt essentiam in actu entitatio sub existentia, & simul dicuntur bonæ per existentiam tanquam per conditionem requisitam, ut sint in actu entitatio, & subinde ut habeant bonitatem actu. Non tamen est negandum res creatas, quando existunt, esse bonas, non solum bonitate existentia, sed etiam, imò multò magis bonitate essentia. Quaestione namque 4. art. 1. disputatione 1. ostendimus, ab essentia, quo ad perfectionem ac bonitatem, superari existentiam. Quando ergo Christus Dominus Matthæi cap. 19. dixit, *Vnus est bonus Deus.* Et Marci 10. ac Lucæ 18. dixit, *Nemo bonus, nisi vnus Deus,* quod multi Patres interpretantur de bonitate per essentiam (per participationem namque ex eisdem Scripturis Sanctis constat, cuncta, quæ Deus fecit, esse valdè bona, multòque viros iustos, Sanctos, & bonos esse bonitate morum) tantum voluit significare, solum Deum habere bonitatem à sua essentia, independentè à quocumque alio, à quo illam participet, aut à quo quasi compleatur & dependeat: res vero creatas nullam bonitatem quantumcumque incompletam & imperfectam habere actu, nisi

per participationem à Deo, & dependentè ab existentia tanquam à conditione requisita, ut eam habeat. Vnde Anselmus testimonium Matthæi citatū exponit de bonitate ex se: eò quod solus Deus ex se habeat bonitatem, reliqua vero bonitatem & essentiam habeant per participationem à Deo. Eodem modo exponunt locum illum Hieronymus in illud ad Ephesios 3. *Huius rei gratia flecto genua mea.* Caletinus primus epistola 1. ad omnes Episcopos Gallicæ cap. 5. & alij Patres. Atque in eodem sensu Dionysius 4. cap. de diuinis nominibus ait, *Deum essentia sua & per se esse bonum: alia vero per participationem à Deo.* Ad difficultatem ergo motam dicendum est, solum probare creaturas, dum existunt, partim ab essentia habere bonitatem in actu, dependentè tamen à Deo, à quo illam participant: partim ab existentia, quod tamen non est habere bonitatem per essentiam ad sensum explicatum. Parum differunt ab hac expositione Caietanus hoc loco articulo 4. & Ferrariensis 1. contra gentes capite 25.

QVÆSTIO VII.

De infinitate Dei.

ARTICVLVS I.

Utrum Deus sit infinitus.

POST tractatum de perfectione diuina, conuenientissimè subiicit disputationem de ipsius infinitate. Quæstio verò proposita non est de infinito quoad durationem, neque quo ad quantitatem molis (quæ in Deo non est) sed perfectionis: quare sensus est, utrum Deus quo ad suam essentiam sit infinitè perfectionis essentialis, ac subinde infinitè bonitatis: in his namque, quæ mole magna non sunt idem est aliquid esse maius, & melius, ut Augustinus 6. de Trinitate ca. 8. ait, Infinitum verò non sumitur hoc loco priuatiuè, pro eo quod caret termino, quem sit natum habere: sed negatiuè, pro eo, quod non habet terminum.

Conclusio, nempe Deum esse infinitum, est de fide. Patet ex illo Psalmi 144. *Magnitudinis eius non est finis.* Baruc 3. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* In symbolo Athanasij à Concilio Florentino in constructione Armenorum approbato, *Immensus Pater, immensus Filius, &c.* In Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. cap. firmiter. de summa Trinitate, & fide Catholica. *Vnus solus est verus Deus, immensus & incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, &c.*

Quamquam pulchritudo & perfectio tot tantarumque creaturarum, quas Deus condidit, maximam quamdam, atque admirabilem pulchritudinem & perfectionem apertè in suo conditore esse testentur, ut latè q. 2. art. 3. explanatum est: plerique tamen credunt infinitatem diuinæ essentia nondum rationibus naturalibus esse demonstratam, sed tantum fide, ut rem certam, teneri. Referam ergo probabiliore rationes, quæ ad hanc conclusionem comprobendam afferri solent.

Prætermissa autem ratione Aristotelis 8. Physicorum, quæ ex æternitate motus nititur probare infinitatem diuinæ essentia, in qua parum probabilitatis esse puto, licet à multis, ut demonstratio defendatur, atque inter alios à Caietano in suo tractatu de infinitate Dei.

Prima ratio est D. Thomæ hoc loco, quæ ex eo, quod

*Quæstio
sensus.*

Conclusio.

*Dei esse infinita perfectione
estis quibus rationibus
probetur.*

*Prima ratio
D. Thomæ.*